






1
6
88











1. 6. 88

VII
CRASS



BARTHOLOMAEI CRASSI NEAPOLITANI DE PLANVRAE DOMINIS

ELOGIA, ET CARMINA.





NEAPOLI, Apud Salvatorem Caſtaldum Regium Typographum 1684.

Superium Permiſſu.

AVGVSTISSIMO
LEOPOLDO
ROMANORVM REGI,
ATQVE IMPERATORI.



On mea auderet tenuitas (Auguſtiſſime Cæſar) hos tibi Muſarum floſculos nuncupare; ni tua ter auguſta invitaret benignitas. Exigua namque Majeſtati tantæ, ac nimis tenuvia mittimus dona; ſed quantulacumque illa, plurima tamen ſunt pro tua, quæ maxima in minimis elucet benignitate; non enim obſequium donis, ſed dona obſequio metitur, obſequentis animum, non officia intuetur. Et ſanè par erat, ut relatas à te nuper immani de Thrace palmas, Apollinei quoque laurus comitarentur; Quod ſi poſt dejectos ab inſano conatu Titanas, Apollo triumphali epinicio Iovem gratulabundus conſalutavit; quidni tibi, Dux Auguſtiſſime, carminum præconia tribuantur, cujus ductù, auſpiciòque

tot modo ſunt fidei Chriſtianæ hoſtes, conjurati gigantæo auſu bellare cum Superis, è Cælo, ab obſeſſa ſcilicet per ſummam impudentiam religionis arce fortiſſima, deturbati? Dum igitur majora alii tibi inſcribunt operum monimenta, minima hæc epigrammatum, elogiorumque ne dedignare munuſcula. Interea cum benignus noſtris annuas votis, tua pręcamur inclyta Deus cæpta ſecundet, ac vota juſtiſſima felicibus impleat incrementis.

EPI-

E P I G A M M A.

Auſtriadum alta Domus, totus quam Mundus adorat
Progenies fulgens inclyta Nata Iove:
Æternis radiis, & Regno illuminat Orbem
Regibus illuſtris, Cæſaribuſque potens.
His major, LEOPOLDE, tamen tu maxime ſplendes:
Cæſar es, at major Cæſare mente, manu.
Suſcipe, ſed quod erit munus Te Cæſare dignum?
Haud donum Grandis: Mentem animumque videt.
Aſpice: hic Aſpectus reddet mea carmina cedro
Digna: Tibi Excelſo gloria Tu met eris.



IM-

IMPRIMATVR.

S. MENAT. VIC. GEN.

Dom. Antonius Coragius Soc. Jesu Dep.

EXCELLENTISS. DOMINE.

TVis obsecuturus jussis, quæ omnes, ut par est capessere debemus legi, & summa quidem cum voluptate librum, cujus titulus est *Bartholomæi Crassi Neapolitani de Planuræ Dominis Elogia, & Carmina:* Et non modo inter legendum quicquam, quod Regis nostri Potentissimi Iurisdictioni adversetur non occurrit; sed cum Divos, Reges, Magnanimosque Duces præcipuè canendo laudet toto ferè libro Adolescens hic paternis imbutus literis, & Genio, ita ut quas Musas Pater juvenis admodùm coluit ameniores, eadem sorte, atque amore prosequatur filius; Adolescentis Poetæ fovendus est ausus, crescentisque styli specimina promovenda, ut incendantur cæteri post poeticos flores ad scientiarum fructus promittendum uberrimos. Quamobrem per typos evulgari posse librum censeo, ni secus visum tibi fuerit Princeps Excellentissime, ad cujus genua procumbo ego.

Excellentiæ Tuæ.

Neap. ex Musæo nostro Decimo Xal. Majas 1684.

Addictiss. Servus
Carolus Susanna.

Visa supradicta relatione Imprimatur. Verum in publicatione servetur Reg. Prag.

CARRILLO REG. SORIA REG. IACCA REG.

Provisum per S.E. Neap. die 26. Aprelis 1684.

Colonna.

CHRISTIANI ORBIS TROPHÆA,

SIVE

VIENNA TRIVMPHANS.

IOANNES III. POLONIÆ REX

Fidei Defensor.

VIENNÆ À TVRCIS OBSESSÆ

Magna Hostium internecione

L I B E R A T O R.

E L O G I V M.

Mihi adsis Apollo
Tempus est Pindum viduare frondibus,
Perennia serta texere.
Non Poetarum tempora redimenda, sed Regum:
Et tibi ò Sacer Musarum Chorus
Præstantius Hymni argumentum dabit
IOANNES invictus.
Egregiam tanti Regispangendo Virtutem, Merita, Gloriam.
Hoc cantu
Empyreas, non humanas imitabere voces.
Eja qualis in eo Virtus eluxit,
Vt ad Regale Solium
Non, nisi Virtutis gerebatur alis,
Ascendit meritis.
Viden Thraciam temulentiam!
Quæ
Vniversa penè Asiæ barbarie in Æuropam transfusa
Ne dum Viennæ casum, verum Romæ occasum
Fallaci mente fovebat.
Sed tamen
Pravis consiliis lugubris respondit eventus.
Palmas credidit reportare, retulit cupressus.
Mirum
LEOPOLDVS ex Cæsare Propheta factus!

Nam ſenſit toto luſtrato Orbe
Diuinam IOANNIS Virtutem,
Et Victoriam eſt auſpicatus
Cum illam ſibi fæderatam aſcivit.
Tanto auſpicio felicior illuxit exitus,
Cum enim IOANNEM vidit armatum
Statim
Victoria Regiæ Galeæ advolavit.
Obſtupuit Germania,
Vt Sarmaticas Cohortes
Non militum, at Heroum phalangem
Tanto ſub Duce eſt admirata.
Qui Filium quoque
Vtriuſque comitem Fortunæ ſecum adduxit;
Vt
Pro Religione, ac Fide bellum geſturus
Religioni, & Fidei (Magno Pietatis exemplo)
Propria dicaret viſcera,
Atque innumeras obtinendo coronas
Tantæ Gloriæ pondus Nato impartiretur.
Triumphator potius, quam aggreſſor
Fulminea, & mortem vibrante dextera
Turcas aggreditur.
Tantò magis metuendus hoſtibus
Quanto minus hoſtes metuebat:
Nec tamen Mahometides celeri ſe fugæ committunt;
Ferreis enim vallati aggeribus
Reſiſtere credunt.
At terribili ab impetu ſubito terrore depreſſi
Dum reniti ſtudent morti occurrunt.
Chriſtiadum mucronum tremendis confecti ictibus
Sitim compeſcunt.
Ipſe, ipſe Danubius
Scythico tumefactus ſanguine adauxit undas;
Byzantiique mulieres orbatæ ſponſis

Fu-

Funebribus lachrymis insignem fatentur Victoriam.
CÆSARIS Gaudium, Romæ solatium,
Totius Christiani Orbis lætitia
Vienna servata, barbaries profligata, Fides firmata
Hostium terrori, Christiani Nominis Tutamini
IOANNI SVBIESKO semper invicto
Æternum erigunt Trophæum.
Ejus Virtus sydera tangit
Merita
Quodlibet Gloriæ trascendunt culmen.
Ipsa
Ne dum terrenos plausus expectant,
At Cælestes.
Et dum plaudet Empyreum
Apollo sile.



Ardua fregisti Mecchææ cornua Lunæ
Barbariem Scythicam Rex generose domans:
Impia fulminea rapuisti insignia dextra,
Illaque donasti, clara trophæa, Petro.
Te Duce Magnanimo pugnax Germania palmas
Innumeras Thracum in sanguine læta legit.
Per te Turca jacet, per te jam salva VIENNA,
Per te firma fides, Roma triumphat ovans.



SERENISSIMVS PRINCEPS
IACOB SVBIESKVS

Ejuſdem Majeſtatis Filius Primogenitus.

Vix decimus Iacobe tibi bis luxerat annus,
Vt forti auderes tela rotare manu.
Tu Maomethigenas invicto Marte catervas
Proſtaſti Scythicos, Biſtonioſque Duces.
Oppreſſa hoſtili, nunc ſalva VIENNA furore
Conſtruit illa tuis inclyta ſerta comis.
In flore annorum victricis fulmine dextræ
Fidi gradivi primitiaſque metis.
Pellæus juvenis, non ſic Chironis alumnus,
Non Dux Thæbanus talis in arma ruit.
Grandis Adoleſcens non te capit Aula paterna,
Atque tibi Virtus jam nova ſceptra parat.



ERNE-

ERNESTVS COMES DE STAREMBERG

Præstantissimus Viennæ Defensor.

Aggreditur Romana ferox Capitolia Gallus,
Manlius audaci pectore in arma ruit:
Ausonias Turres costanti marte tuetur
Tutamen Patriæ, Præsidiumque suis.
Arma cient Thraces, rabidoque furore Viennam
Obsessam cingunt aggere, & igne tonant.
Fortiter oppugnant pinnatos undique muros,
Barbariem spirant ore, manuque feram.
Arx Fidei alta labat multos immota per annos,
Luget & interitum territa Roma suum.
Stabat pro Roma fortis STARMBERGIVS Heros
Vrbis tutamen, præsidiumque fide:
Hostiles acies firma Virtute coercet,
Fulminea dextra belligerabat ovans:
Quæ tanti Herois præstanti robore victæ
Haud mora præcipites arripuere fugam.
Quid quæso Historia antiquum Romana celebrat?
Longè illo major Manlius iste novus.
Romanam ille arcem, nunc servando iste Viennam
Romam, & Romanum sustinet Imperium.

SERENISSIMVS PRINCEPS
CAROLVS LOTHARINGIÆ DVX

Cæſarei Exercitus contra Turcas Supremus Moderator.

Sternere barbariem, Scythicaſque domare phalanges
Magnanimi CAROLI Gloria ſumma fuit.
Fortunate Nepos non impar Magno Othofredo,
Dum digna excelſo ſanguine geſta paris.
Ille expugnavit Solymam, Chriſtique Sepulchrum
Hoſtis blaſphemi ſubſtulit è manibus.
Tu Sacri Imperii Cunam, Fideique columnam
Fulcis, cuſtodis robore prævalido.
Meſſuit eoas, devoto pectore, palmas
Ille. Pari dextra tu metis Occiduas.



LEOPOLDUS

CÆSAR AVGVSTVS TRIVMPHATOR.

Victoriæ Præconium.

Terrigenas tentaſſe Iovem detrudere Cœlo
Muſarum finxit mens agitata Deo.
Fulmine diſiectos etiam. Nunc fabula veram
Tranſit in Hiſtoriam. Cuncta ſuperba cadunt.
CÆSAREVM Nomen potis eſt ſuperare Gigantes.
Pro vero CÆSAR Numine pugnat Ovans.
Hùc non reſpexit Maomethis barbara turba:
Hinc pede præcipiti corruit, atque jacet.




INNOCENTIVS XI. PONT. MAX.

Sylvestros, Pios, Xystos
Augmento, Pietate, Pecunia superasse
Parum est.
At multum est
Nunc, Turcis eversis
Fidem servasse,
Fidosque incolumes custodisse:
Fatentur
POLONVS CÆSAR, & totus Orbis:
Hic verè novit
Quales sint Ecclesiæ Thesauri.
Hoc est
Fidos augere Populos, & defendere,
Religionem promovere:
Quod ut gereret
Nummos sine numero profusit:
Verè Maximus,
Si Maxima facit.
Verè pro Deus,
Si prò Deo tanta perficit.
Te Pontifice
Creta, Rhodus, Cyprus
Romanæ iterum fient.
Tibi
Christianus omnis plaudit Orbis:
Hinc
Credit videre bona Domini in Terra Viventium:
Nestoreos vivas annos, & sæcula mille.

Romæ, & Romani Imperii tu maximus Atlas.
Tutorem noscunt te, Dominum, atque Patrem.


BEL-

BELLICA
PRÆSTANTISSIMORVM DVCVM
MONVMENTA,
AC
ELOGIA



TAICOSAMA
Iaponiæ Imperator
Infimo natali, Geſtis ſublimi.
E'Sylvis in Regiam tranſilvit
Prius armentorum Cuſtos, deinde Populorum Rector.
Armis ſtrenuus, rebus agendis vafer.
A' Principe defecit. Principem Principatu orbavit.
Decepit, ut regnaret. Regnavit, ut deciperet.
In bello hoſtes, ſed ſuæ Tyrannidis hoſtes evertit.
Auri avidus. Magnatum ſanguine madidus.
Vicinos vicit. Remotiores terruit.
Plurima adeptus Regna Imperium erexit.
Æterno verè Nomine dignus;
Si digni æterno nomine ſunt proditores.
Diſce


Rebus in humanis, quantum inconſtantia Sortis
Ludat, ut exaltet, deprimat utque cave.



Adeſte omnes
Martis, ac Palladis veſtigia proſequentes.
Vtriuſque Idæam do vobis.
D.PETRVM HENRICHEZ COMITEM DE FVENTES:
Natum ſub Magno Principe,
Pro Magno Principe natum.
Ipſe
Belgii ferveſcente tumultu
Belli, Conſiliique arbiter
Provinciæ imbecillitatem percipiens
Opportuna adhibuit remedia
Virtute, Armis, Conſilio.
Virtute
Fluctuantes Populorum animos roboravit,
Armis inimicos proſtravit,
Conſilio Amicos adjuvit.

In Castris ne, vel in Aula
Præstantiorem se gesserit,
Regique suo magis profuerit
Incertum.
Galliam invasit, Dorlanum occupavit.
At majora animo voluens
Cameraci Vrbem mira citcumvallatione
Cinxit, Oppugnavit, Expugnavit.
Ipsorum met hostium plausibus decoratus.
Meritis, & Gloria redundans
Ortum inter Gallos, & Subaudiæ Ducem dissidium
Mediolanensis Ducatus habenas sumens
Singulari Prudentia
Pacavit, extinxit.
Arcem in confiniis construxit
Suo vallatam Nomine,
Nam Nomen suum validum erat propugnaculum,
Et Nomini suo perennem adeptus Gloriam
Vitæ colophonem imposuit.

Hic est ille Comes celebri de stemmate Fuentes,
Qui Mavors bello, Pace & Apollo fuit.



Siste Viator
Hic jacet IMANCVLBEIG
Persarum copiarum Imperator.
Prius in bello flamma, modo cinis.
Regis Abas regni fines extendit
Mogolum superavit, Laram subegit
Ex Hormuz Lusitanos expulit.
Tantummodo Gloriæ pressus inopia
In Oriente Religionis Lumine caruit.

Splenderet magis Heroes fortissimus inter,
Lumine si Fidei non caruisset Iman.

ERNESTO MANSDFELDII COMITI.

Qui
Natalium impuritatem armorum fulgore illuſtravit
Parentis ſequutus veſtigia
Prò AVSTRIACIS arma tractavit:
At
Mutatis una cum Religione ſtipendiis
Suis artibus
Bohemiæ ſeditionem fovit, provexit.
Sæpius dimicando victus
Palmis, non exercitu caruit:
Dum certandi infelicitatem
Celeri refectione compenſabat.
Fortunam in præliis adverſam
In jacturis ſecundam expertus
Sine Principatu Princeps
Sine Dominatione Provinciarum Dominus
Germaniæ deſertor,
Principum terror,
Tandem
Mortis jacula vitare non potuit.

Indomitus, ſemperque minax, ſemperque fugatus
Anthæus pugnax hic jacet ille Comes.



BOGDANI COSACCHORVM DVCIS

Peripetia.

Corporis robore, Animi calliditate insignis.
Nobiles oppugnaturus Rusticos armavit:
Inter quos Nobilitatem adeptus
Vrbes diruit, Exercitus fugavit
Provinciarum potitus
Victus victor, fugatus fugator
Anthæi instar se prætulit.
Regi rebellis, à Rege veniam petiit,
Vt hac obtenta iterum deficeret.
Tartaris, Moschis, Turcis, quamvis fœderatis
Sæpè numerò infidus.
Hoc in uno verbis non fallens,
Quam vis Patriæ ingratus;
Nam promissum illius excidium molitus
Patriam funditus evertit.
Instabilis
Castra linquens Claustra petiit
Religione nudus.
Qua sinè
Inquietus obiit,
Perturbatum enim ejus animum
Non, nisi Mors sedare poterat.

Conditur hoc tumulo Monachus, Dux, Barbarus Hospes
Bogdanus. Solo nomine Gesta Sapis.



D. HIERONYMO CARAFÆ

Montis Nigri Marchioni.

Præclaro ſanguine nato,
Præclariori Virtutum genere redundanti;
Militari Scientia præclariſſimo.
Imò bellicæ Artis Principi.
Hic
Celebres inter ſuæ ætatis Duces
Splenduit Præſtantiſſimus.
Hujus
Primum, atque ingens Gloriæ theatrum
Belgium fuit.
Eò loci
Ejus Virtus mirandum in modum effulſit.
Duro enim in Martis certamine
Quia metitus, meritus primas palmas.
Huic
Adverſa pectoris vulnera
Æternum ſtatuere Triumphum.
Teſtis HENRICVS.
Qui HIERONYMI Scientiam, & militare robur,
Vt vidit
In ardua Ambiani obſidione
Ejus merita ingentia
Proprio faſſus eſt ore.
Verè Regium, & dignum HIERONYMO teſtimonium.
Germanam gentem tumultuantem,
Et in Cæſarem conſpirantem
Domuit, fregit, evertit.
Non mirum
Non degenerem Patria peperit.
Alcides ſolet Parthenope gignere.

Nostrum genuit HIERONYMVM Alciden.
Dixissem Filium Martis,
Ni Mors præpropera
Hanc notionem abstulisset.
Sed hac Invidia
Immortalem HIERONYMO peperit Gloriam.

Parthenope splendens Alciden parturit. Ortus.
Edere dissimiles non solet ista Parens.




CO-

COMES IOANNES ALDRINGERIVS

Virtutis Filius.

Qui
Natalibus licet mediocribus ortus
Illuſtrem ſe, familiamque ſuam armis fecit.
Cujus
Rerum paupertatem ingenii divitiæ ditarunt.
Cui
Scientiæ ſe ſe diffuderunt omnes.
Quem
Militem factum validè pugnantem Sueci timu ere,
Et pervicaces Proteſtantes.
DVX CÆSARIS in Mantuana direptione claruit
Animo quam vis in populatione avaro.
Multas in Germania expugnavit Vrbes:
Variante demum Fortuna
Manus contra Suecos conſervit.
Interemptus tandem in bello deceſſit.
Emerita tamen laudum præconia tulit.
Mors mortalem credidit, Mars immortalem reddidit.

Sunt Cælo flores, quos Virtus ardua donat.
Heroum hunc Florem florida ſerta decent.



Da lachrymas Hoſpes
Lugendum magis, quam legendum.
D. FRANCISCVM TORALDVM AB ARAGONIA
Maſſæ Lubrenſis Principem
Miſeriarum fatale ſpectaculum offero.

Hic
Generosa stirpe editus
Nutritus in armis
In Præliis adultus
Ad omne Martis opus inveteratus
Avorum Celsitudinem
Propriis adauxit meritis.
Esto huic erectum Trophæum
Tarraconensis Vrbis defensio.
Singulari arte, præstanti Virtute, forti dextera
Parthenopen suos habere Martes
Testatum voluit.
Sed
O'Humanarum rerum vicissitudinem!
In Patriam rediens
Pro Patria contra Patriam arma tractavit.
In cujus insana seditione
Vilissima à Plebe interemptus
Firmam Regi suo fidem
Proprii sanguinis effusione patefecit.
Qui
Nobilitatis testis
Natalium splendorem, & animi candorem
Ostendit

FRANCISCI ingenuus candor, nostrique Gradivi
Apparuit fuso in sanguine vera fides.



GVLIELMI HASSIÆ LANDTGRAVII

Præstantissimi Bellatoris.

Protestantium protectoris
AVSTRIACIS, CATHOLICISQVE semper infesti
Conduntur hic cineres.
Hic
Constantis Amicitiæ splendor
Grassantibus Germaniæ tumultibus
Non inglorius fortes conservit manus
Secum REGI GVSTAVO
Tum Religione, tum armis conjunctus.
Quo licet extincto
Magis in GVLIELMO bellandi est ardor accensus;
Vt fædere junctis pro Rege foret
Quam vis Fortuna variante
Animum non tamen variavit
Propalam ostendit
Contrá veram Amicitiam nil posse Fortunam.
Amicis, fæderatisve opem laturus
Cum Gallis, ac fæderatis Belgis fædere pacto
Laer Vrbem ingressus
A'Morte oppressus
Diem clausit extremum.
Suis tamen gloriosis Gestis vivet Immortalis.
Et si jacet
Nominis Fama non tacet.

Si gladium strinxès pro Relligione Quiritum
Nonne fores fama splendidus ipse magis?

VLADISLAVM POLONIÆ REGEM

Magnum Lithuaniæ Ducem.

Majorem Principem
Bellatorem Maximum
Triumphatorem Invictum
Victoriæ dilectum
Lector vide.
Hujus dextera fulmen.
Quæ oppugnavit, expugnavit
Funditus evertit.
Ejus munus erat
Serere palmas, metere victorias, reportarẽ trophæa.
Tartaricas cohibere turmas
Moschos debellare infidos
Turcas domare superbos
VLADISLAI gloria fuit.
Cujus commendare Virtutes,
Exarare laudes, numerare Triumphos
Calamus, & Arithmetica se non posse fatentur.

De te quid dicam? sileam celeberrime Regum;
Teque minus quicquid dexerò semper erit.



Co-

Cognomini haud respondit:
Verum illud immutavit.
Non PICCOLOMINÆVS, sed Magnus Vir.
Major Dux, Maximus Heros.
Adhuc Suecia Gustavi luget interitum.
Fracta fatentur Galli crista.
Slanc quoque suecus attestatur.
Multitudine militum capta.
Sileo
Nam Grandis OCTAVII impar sum Gloriis.

Davidis Tusci hac cineres conduntur in urna,
Qui Suecum Goliath substulit ense pius.



LEOPOLDVS GVLIELMVS
ARCHIDVX AVSTRIÆ.

Lugentes Charites, alto preſſaſque dolore
Videre Aonii Numina Sacra Chori.
Obſtupuere, petunt mæroris noſcere cauſam.
Occidit AVSTRIACVS Mars novus: hinc lachrymæ.
Facta eſt Muſa ſilens LEOPOLDI dicere laudes
Diffidens: retinet carmina mæſtitia.
Fama ſed aſpiciens Charites, Muſaſque dolentes
Se excitat, atqne illam Gloria ad alta vocat.
Remigio alarum ſe Aulis Cæleſtibus infert
ARCHIDVCIS pandens nomen in Orbe Deum:
Commovet hinc Phæbus Muſas, promptaſque calore
Hymniſono reddit. Muſicus indè canor.
Præclaræ celebrare hujus præconia laudis
Pieridum genitor vix ſatis: & tacuit.



ALIVD

Splenduit impavidus mediis GVLIELMVS in armis
Omne ad Martis opus pectora prompta parans:
Læthalis nunquam renuit discrimina belli
Arma, hostesque inter robore prævaluit.
Viribus invictis, Virtutum nomine clarus,
Cujus utroque Polo fama perennis erit.
Imperii Augustas; mirum! cum cessit habenas,
Dignior Imperio tunc LEOPOLDVS erat.

CAROLVS DE GONTAVT

Bironius Dux.

CAROLVS extinctus parva nunc clauditur urna
Prèndere quem vivum Gallia non potuit.
A' grandi HENRICO grandi ditatus honore,
Virtutisque suæ præmia digna tulit.
Attamen elatus dum sceptrum quæritat: illi
Præmia dat Virtus, Ambitio interitum.



MAO

MAHOMETVS MAGNVS
Indorum Imperator.

Extremos tandem Virtus penetravit ad Indos
Inque Macometho tota resedit Ovans:
Strenvus, & vafer Imperio tot Regna subegit,
Quanta Indi, & Gangys fluctibus ora madet.
Regnorum innumerum domitor vi denique adactus
Horrendæ mortis triste subire jugum.

IVLIVS ÆTHIOPVM DVX.

IVLIVS hic jacet Æthiopes fortissimus inter.
Teter erat vultu, tetrior ast animo.
Regnandi cupidus bellum suscepit iniquum.
Infidus Regi pro fide in arma ruit.
CHRISTI Naturas tentat dum tollere binas
Occisus falsa cum fide, & ipse ruit.



DAI-

DAIFVSAMA IAPONIÆ, IMPERATOR,

Perfidus, acri animo, celsi sub vertice Montis
Se condi jussit Daifusama ferus;
Mortuus ut Cęlo, Divisque propinquior esset:
At sua barbaries turpior indè patet.

MAVRICIVS PRINCEPS AVRIACVS.

MAVRICIVS BATAVVM tutamen, gloria, vindex
Impubes cæpit horrida castra sequi:
Sæpius opposuit lethæis pectora bellis,
Movit & intrepida martia tela manu.
Mærore absumptus morti succumbit acerbæ.
Quem Mars non valuit tollere. Mæstitia.

MARCHIO AMBROSIVS SPINVLA.

AMBROSII Virtus nullis superabilis armis:
Nam sua bellisonans dextera fulmen erat.
Hic Marti similis fama super Æthera notus
Hostes aspectu terruit, ac domuit.

Ejusdem effigies.

Si manus effigiem potuit depingere vivam
At Gesta AMBROSII dicere lingua nequit.

IOANNES TERSCLES COMES DE TILLI.

Romanæ TERSCLES fidei tutela, salusque,
Sospite quo tutus CÆSAR ab hoste fuit
Imperii Alcides enervans hæresis hydram
Qui Pius invicta conseris arma manu:
Iam caput infidum scelerato fregeris angui,
Te tantum abstulerint ni fera fata Virum.

ALBERTVS VVALSTEIN DVX DE FRITLAND.

ALBERTVS cecidit! Lector spectacula Sortis
Funesta, & casum perlege disce, & abi,

GVSTAVVS ADVLPHVS SVECIÆ REX.

Hospes siste gradum. Tumulo GVSTAVVS in isto
Conditur Europæ terror, & exitium.
Qui licèt extinctus clades, ac bella minatur,
Bellisonas flammas spirat & ipse cinis.




OLI-

OLIVARIUS CROMVEL

Contemptor Divum , Patriæ sæuusque Tyrannus
Fas omne abrumpens, bella cruenta movens.
Dedecus Anglorum , nostrique infamia sæcli
Immanis CROMVEL *clauditur hoc tumulo.*
En faber omnigeni sceleris ditisque minister.
Ipse virile habuit robur ad omne malum.
Induit & clamydem (ò crimen , facinusque nefandum!)
Occisi Regis sanguine purpuream.
Illius pereat turpis cum nomine fama,
Sorbeat infaustum fluminis unda Stygis.

CAROLVS LOTHARINGIÆ DVX.

Innumera aversæ sortis discrimina passus,
Quæ foliis levior mobilitate viget.
CAROLVS *hostiles valuit superare phalanges,*
Et Marte incerto prælia dura pati.
Viribus armorum hostes non sinè laude retundens,
Robore Virtutis tristia fata domans.



COMES MATTHIAS GALASSVS.

Proſtravit Suecoſque Danos, domuitque rebelles
MATTHIÆ invicti dextera fulminea.
Sæpè triumphavit Cæſar bellante GALASSO,
Sæpè citam arripuit turma inimica fugam:
Fulmina namque huic præſtabat Iovis armiger ales,
Queis hoſtes poſſet ſternere Cæſareos.
Claruit Heroes inter fortiſſimus omnes,
Virtute excelſa perculit invidiam.

ERPERTVS MARTINVS TROMP

Batavæ Claſſis Præfectus.

Claſſe ſub armata ERPERTVS tumida æquora ſcindens
Vela dedit, Ponti rabiem ſubienſque profundi
Neptuno fræna impoſuit, ventoſque ſecundos
Reddidit, Heroem ventis metuentibus almum.
Bellator fortis, Patriæ defenſor in Anglos
Irruit hoſtili verſantes prælia dextra,
Aera diſſidunt bombi, ſonat arduus æther,
Atque inimica rates antennis ſaucia fractis
Naufraga jactatur quaſſata pèr æquoris undas:
Claſſis, & arma natant Martis concuſſa ſagittis,
Diſperſaſque alto naves mare ſorbet hiatu.

Roboris ardorem ignivomi uix pulveris ardor
MARTINI extinxit, moritur si vivida Virtus.

ODOARDVS FARNESIVS PARMÆ,

Ac Placentiæ Dux.

Magnanimum Heroem, quo non præstantior alter
Vitali orbavit lumine parca ferox.
Indignum facinus, quo non indignius ullum:
Credidit invictum sternere ad Astra tulit.
Fulget in arce Poli propria virtute coruscans,
Atque Duces inter Sol velut ille micat.
Dixerò si belli fulmen, si Pallade Natum,
Hisce tamen major verè ODOARDVS erat.

MARCHIO ALEXANDER DE BORRO.

Alter ALEXANDER Mundum, sed vincere Cælum
Non potuit. Noster vicit utrumque Polum.



PRINCEPS MATTHIAS MEDICES.

MATTHIAS validis ingens resonantibus armis
Cæsareus primus Dux, & in arte potens.
Sæpius armatas domuisse, necasse phalanges
Scribitur, & populis imposuisse jugum.
Fortis erat sapiens, tenuit Martemque secundum;
Sortem arridentem, bella peregit Ovans.
Omnibus ornatus præstans Virtutibus Heros
Claruit exuperans patria Gesta suis.
Hunc ego non dicam mortali semine natum.
Tanta homo quippe nequit. Dixerò Marte satum.




LAZARVS MOZENIGVS.

O'Decus, ò Patriæ lux, noſtri ò Gloria ſæcli,
O'verax bello LAZARE norma virum,
O'celebrande Heros, fama, vel clarus Olympo,
O'fulmen Martis nobile, Marſque novus.
Hoc uno occiduus. Mortem, excidiumque parabas
Dum Turcis te vis ſubſtulit atra Maris.
Fallor. Te tunc è Terris ad ſydera Virtus
Extulit, elatum laudat & ipſe Polus.



CARMINA DIVERSA.



SANCTISSIMA TRIAS.

Vim Genitor, Sophiam Genitus, Rectumque ab utroque
Pneuma tenent, unum constituendo Deum.
Natura lux una, tamen tria lumina prorsus
Æqua accendit, habent in tribus esse Deum:
Vi Deus Omnipotens, Sophia cuncta ordinat, iisdem
Se diffundentem dat bonitate sua.
Esse potest nunquid majus Ternarius ille
Immensus? majus tu ne putare potes?
Miraris ne Deum incompto à me carmine dici?
Causor; nam nulla est mens capere apta Deum.

DIVVS BARTHOLOMÆVS.

Hic inter Divos lucet fortissimus Heros,
Atque manus inter prominet Aligeras:
Luce coronatus, vestitus syrmate Cæli,
Cælesti ornatus Gloria in arce Poli.
Et tamen occubuit nudus sinè cortice carnis.
Cur ita? Divino Pneumate plenus erat.
Tendit ad Astra levè, hic Divinam ut scanderet aulam
Tutius, en illùc vel sine pelle volat.

AD ILLVD APPII CLAVDII

Faber eſt quiſque propriæ Fortunæ. Teſte Saluſtio.

Sors, Fors, Eventus, Caſus, Fortunaque, Fatum
Voce tenus quod habent, ſignificare valent.
Horum nequicquam mortali deſtinat ullum,
Nec valet: in fatis, dicere, ſic id erat;
Namque omnes unus ſortes regit auctor, & una
Temperat Omnipotens omnia fata manus.
Quod non prævisum cadit, & ſecus eſſe valebat,
Id caſum, aut Fatum dicere complacuit:
Non etenim eſt Fatum, ut Chryſippus ſtoicus ille
Somniat: eſt quod ait, fallitur ille tamen.
Quippè homini leges tribuit ſufferre malignas,
Mentis & indignum ſuſtinuiſſe jugum.
Eſt quod ait Fatum, ſed non quod ſentit: Apertè
Fati mutatis ſenſibus ecce patet.
Eſt ſeries rerum Fatum, rerumque catena,
Quam Deus, at ſalvis, ordinat arbitriis.
Vnicuique data eſt omni pretioſior auro
Libera libertas, qua quod amat quit Homo.
Cogimur haud uno mortales vivere voto,
Nec duro Sortis ſubdere colla jugo.
Quam benè conveniens cunctis ait Appius olim
Fortunæ fabrum quemlibet eſſe ſuæ.

FORMOSVS PVER NATANS.

Spumantes rauco plorabant murmure fluctus,
Nullaque cæruleas aura movebat aquas.
Quum puer Ermetes liquido se in marmore mergens
Iactabat tremulo brachia nuda Mari:
Aurea Cæsaries radians vada salsa flagellat,
Alba fit ex humeris concolor unda suis.
Tunc Neptunus ait. Forsan de gurgite vasto
Quondam nata Venus: nunc orietur Amor?

CÆSAR NAVCLERO.

CÆSAREM habes tecum spumas salis ære ruendo,
Et tua sollicitus comprimit ossa timor?
Cæsareum Nomen potis est superare profundum,
Imperiumque pavent cærula regna meum.
Hæc mea bellisonans, quæ totum subiicit Orbem
Sævitiem Pelagi, dextra, domare valet.



FACTVM MVTII SCÆVOLÆ.

Alludit ad illud Ioseph Baptistæ.

che se la mano
Della Patria non è non è la mia.

Erravi Porsenna, manus si transtulit ictum
Errantem dextram torreat ignis edax:
Si non Romanam nunc ultrò porrigo flammis.
Non mea, si Patriæ non fuit illa manus.


Aliud.

Fortunata manus, licet igne absumpta voraci
Splendida perpetuo Nomine semper eris.
Quum ferrum glomeras nescis componere vulnus,
Armatos Reges vincere adusta potes.



IRIDE APPARENTE CYNTHIAM VIDET.

Flammanti radio jam pictor in Æthere factus
Pingebat volucrem tetris in nubibus arcum
Phæbus, & omnigenis vestita coloribus Iris
Desuper illuxit roseo Thaumantias ore:
Empyrei torquem, risum plorantis Olympi
Cynthia consurgens placidis spectabat ocellis,
Perlegit illam oculis, & inhæret pectore toto.
Hanc ego suspiciens niveum mea lumina jacto
In vultum, sistens, atque illa immota tenebam
Cælesti aspectu languentia pectora pascens.
Tunc conversa statim, cum me lustravit amantem
Protinus illa fugit, pedibus timor addidit alas;
Nec voces audire meas, tristesve querelas
Immanis curat Busiride sevior ipso.
Tum miser obstupui, steteruntque simillima saxo
Pectora tabifico actutum compressa dolore:
Credere quis posset! subito mea gaudia læta
Cælicus en fornix in fulgur vertit inane,
Nuncius haud pacis, sed sævi tessera belli,
Si puer Idalius, cæco qui fulminat igne
Tela, Polo, exorta violentius Iride vibrat.



CYN-

CYNTHIA PISCATVR.

Cynthia cæruleos comprèndit arundine pisces,
Fluctivagoque gregi construit insidias:
Continuo, ipsa volens formosæ victima dextra
Advolat ad dulcem squamea turba necem.
Optima Piscatrix. Dum in terris retia tendis
Stellanti alliciens lumine corda trahis.

PAVSANIAS CLEOMBROTI FILIVS,

Dum statuam sibi erectam lacedæmones dirvunt.
Ex Thucydide lib. I.

Si mea Gesta gravis jam tollit ad Æthera Virtus
Saxa erecta mihi, muta trophæa, ruant.
Invidiæ dentes marmor confrìngere possunt.
Pausaniæ Nomen rodere non poterunt.

THAMYRÆ FACTVM.

Ad cantum Thâmyras Musas, Phæbique Sorores
Provocat, & meritò Lumine cassus abit.



CYNTHIA DORMIENS.


Cynthia frondosæ umbrifero sub tegmine lauri
Lassa soporifero lumina rore rigat.
Lumina si clausit, si donat membra quieti
Ardua si placidus comprimit ossa sopor
Blandus Amor, jaculis qui corda immitia mollis
Mollia fac telis pectora dura tuis,
Pectora duritiem silicum quæ vincere possunt
Heu semper lachrymis pectora dura meis.
Vt sic me redamet, vel saltem vincta sopore
Ardentem vultum somniet illa meum.

DEFORMIS MVLIER NATANS.

Carpis iter pelagi, gelido vada pectore rumpis,
Insipido salsas corpore findis aquas.

Aliud.

Turpior inferno mulier premis alta lacertis
Æquora, monstrorum nunc benè regna voco.



ZEVXIS PICTAM A' SE VETVLAM

Contemplans risu moritur.

Rugosum vetulæ vultum squallentia terga
Egregia Zeuxis pinxerat arte potens;
Et subitò, dum solvit Ovans præcordia risu
Fata subit, claudit lætitiaque dies.
Eheu sortem hominis quis non lachrymetur acerbam!
Si vel sub risu mors inopina latet.

VENERIS PICTOR.

Pinxisti Venerem fluitanti è marmore nasci
E'vino, insipiens, nascitur alma Venus.

DIOGENES IN INFERIS.

Cerbere pande fores stygii defensor averni?
Non mihi blandiris? Sum quoque ego ipse canis.



CASVS FILII CROESI.

Ancipiti pugna medios moriturus in hostes
Cresus in arma ruit tela cruenta ciens.
Quum miles Regem insequitur, denudat & ensem,
Iam jam instans Regis vulnere pectus habet:
Mutus Adolescens cernens discrimina Patris
Haud mora vocales hos dedit ore sonos.
Impie ne inficias Regali sanguine ferrum,
Si Cresum interimis lydia sceptra cadunt.
Vocibus auditis stupuit, subitòque repressit
Ictum, suspensa dextera & ille stetit.
Portentum! Nato vocem, vitamque Parenti
Tentatum vulnus donat, utrumque beat.

CLEOPATRA VENENVM SORBENS.

Diris si fatis, cessit si Cæsaris armis
(Si tantum rapuit Mors furibunda Virum)
Si jacet infido sub Marte Antonius, Anguis
Læthifer ista fero viscera dente vora:
Rumpantur potius connexa ligamina vitæ,
Quam me Victoris ferrea vincla ligent.



MVLIER PVLCHRA CLAVDO VIRO NVPTA.

Vulcano pulchram Venerem junctam esse marito
Fabula nota quidem: claudus at ille fuit.
Hæc non degenerans Divam, Matremque imitatur;
Formosa est mulier, Filia nam Veneris.
Hoc facto ista tamen certè laudanda videtur,
Acri selegit judicio ecce Virum.
Vel claudum ista suo novit benè munere fungi,
Aut alium, claudi tegmine, habere cupit.

NERO ARDENTE ROMA CYTHARAM PVLSAT.

Vulcano Romam insanus Nero porrigit escam,
Ausoniamque Vrbem devorat ignis edax:
Æthera flammarum contorta volumina lambunt,
Et combusta cadunt marmora rupta solo.
Lumine ridenti miseranda incendia cernens
Barbarus en Cæsar ligna sonora premit!
Concinit ore modos, crepitantibus undique flammis:
Læva facem glomerat, dextra flagellat ebur.
Saxa movens sonitu Thæbanus musicus olim
Erexit, Patriam, destruit iste lyræ.



FVNAMBVLVS.

Qui centrum gravitatis amat reperire, Mathesin
Discit, & est opus ut polleat ingenio.
Fallitur: hanc solum novit Funambulus artem,
Hoc uno, bene rem scire docente potes.
Corporis hic medio librato, cætera membra
Commovet, illi uni ne cadat usque studet.
Ambulat, atque quatit vario tensum pede funem,
Mille modos aptat, mille tenetque vias.
Auri sacra fames, quid non mortalia cogis
Pectora? *vel vitam ludere. Turpe scelus.*

Idem.

Humanum ingenium vix majus promere posset.
Hic Sophus est pedibus, Hic Sophus est manibus.



ÆGROTVS AMO.

Æstuat incessans in mæsto pectore flamma,
Et mea febrilis devorat ossa furor:
Læthifer oppressit languentia viscera morbus.
Est mea febris amor. Nulla medela juvat.
Sola levare malum, dirum mulcere dolorem
Cynthia me sanum reddere sola potes.

LAVS PINTI MVSICI.

Neptuni Musæ fluitanti in marmore nantes
Fallaci dictæ carmine ferre necem:
At contrà dulci resonans modulamine Pintus
Extinctos reficit, cordaque cuncta trahit.

Aliud.

Iucundum Pinti cantum si audiret Apollo,
Auratam subitò frangeret ille lyram.



CRE-

CRETA SVB TVRCARVM DITIONE REDACTA.

Illa , ubi mille viis Mæandricus error habebat
Parietibus textus falleret unde dolos ,
Nobilis illa Iovis Patria, alta Hecatompolis illa
Subdita Victori Lunifero ima subest ?
Quam Pelagi Regina Polis, Virgoque Leonis
Perdidit à sævo Thrace subacta gemit ?
Quæ prò Christiadum stabat Turri , atque Columna
Victa novo Kersi mæsta tributa parat .
Mæsta tributa parat tali subiecta Tyranno ,
Christicolasque gemens talibus alloquitur .
Non mea culpa fuit succumbere , cedere, (namque
Quæ potui feci) Non mea culpa fuit .
Vestra ò Christigenæ Reges defendite Regna ,
Hæc celeri en properat tollere turca pede .
Turca coronari tentat toto impius Orbe
Creta monens Reges hæc ait, & tacuit .



POR-

PORCIA BRVTI VXOR.

Alludit ad illud Baptistæ

Nel delubro del cor serbo i carboni,
E del foco d'Amor sarò vestale.

Si Bruti nece libertas Romana sepulta est
Deponam vitæ pondera dura meæ:
Vulneribus promptum jam jam mihi tradite ferrum.
Occubuit Brutus, Porcia non moritur?
Nil prodest violare comas, contundere pectus
Tristia quum Virtus fata domare nequit.
Vt saltem possint flammæ durare perennes,
Legitimusque sacro fædere junctus amor.
Pectoris in Templo carbones Porcia condat;
Vestalisque sacri lampas amoris erit.

ANTHÆI EPITAPHIVM.

Conjunctas vires præbet mihi terra jacenti,
Me nunc Alcides vincere non poteris.



CHYMICVS.

Materiam primam dum quæritat undique ſtultus
Amittit formam Chymicus ecce ſuam.

STATVTVM EST HOMINIBVS SEMEL MORI.

Mortale omne Genus naturæ pendere debet
Debita. lex firma eſt, crimine ſcripta gravi.
Eſt incerta dies fatalis, & omnibus inſtat.
Ortus pœna mori eſt. Hanc meditare diem.

Valenti Imperatori, Exilii decretum ſcribere volenti contra Divum Baſilium calamus non reddidit atramentum.

Paſtorem innocuum, dum Cæſaris impia dextra
Extorrem ſæva ſcribere lege petit.
Mira fides! calamus tunc verba notare recuſat,
Torpet & in digitis, durus & ille riget.
Eſſe pium docet ille reum, ſontemque Tyrannum
Se injuſta inſontem ſcribere juſſa piget.
O'pennam egregiam fama ſuper Æthera vectam,
O'ſtupor! hinc Cæli dogmata ſcire licet.
Noluit hæc quoniam ſemel impia ſcribere, ſemper
Scribitur, & celebri Nomine vivit adhuc.



Formosus adolescens vetulam turpem amans.

Quem formæ desiderium, Plato, dicis Amorem
Nunc est deformis facta cupido rei.
Quid mulier specie polles, faciemque coloras?
Vt placeas, frustrà niteris esse micans;
Vere quid activo, & grato florere juventæ?
Quid mollem, teneram vividam & esse juvat?
Mundus ad occasum pergit, si displicet Ortus,
Displicet en oriens Sol, obiensque placet.
Est verè nunc cæcus amor, jam reddit amantem
Cæcum; nam quæ sunt turpia pulchra videt.

DEMOCLIS PVDICI FACTVM EX PLVTARCHO.

Democles pueros inter pulcherrimus omnes
Primævo ætatis flore virente nitens:
Formosum fecit, fecit natura pudicum,
Pulchrior incertum, an purior ille fuit.
En Poliorcetes vesanas pectore flammas
Nutrit, & impuro viscera amore gravat:
Terrificis verbis sermonis dulcia miscet,
Blanditiis sævas adiicit atque minas.
Obstupuit puer, & supplex vox faucibus hæsit,
Et gelida horrendus perculit ossa tremor,

Actu-

Actutum impatiens diro offert colla Tyranno
Vult mortem potius, quam absque pudore dies.
Vi tamen illatum nequiens vitare furorem,
Cum spes insonti nulla salutis erat.
Præcipitem se ferventes conjecit in undas
Flammantis labri, transit & ad stygias.
Sic vicit Democles, lascivamque Tyranni
Corpora casta vorans corripit unda sitim.
O' factum egregium, atque ætatis gloria priscæ.
Quam raró similem sæcula nostra vident!
Fortis Adolescens laudet te fama perennis
Castior Asbylo, purior Hyppolito.
Veturium niveis tu unus candoribus æquas,
Mundus cedat Apollonius ipse tibi.
Vivida Democles te tollat ad Æthera Virtus
Magna Pudicitię Gloria, Norma, Decus.



Quidam illud Horatii proferens
Quid prohibet ridentem dicere verum ?

Nulla quidem prohibent ridentem dicere verum .
Tu ridens dicis falſum, & inane tamen :
O'cujus poſſunt riſum argumenta movere ;
Neſcis, & credi niteris eſſe ſciens .
Magnus es ardelio, blatero majorque, cicada
Voce tenùs Sophiam credis habere tuam
Hoc verè loqueris, monſtrans, verumque fateris
Te riſu ſtultum . Quam benè dicta refers .
Nil ergo prohibet ridentem dicere verum
Ex te, qui neſcit, diſcere ritè poteſt .



TVRNVS IACIENS SAXVM IN ÆNEAM.

Alludit ad illud Baptistæ

Se da sassi di Pirra uscì la vita
Dal macigno di Turno esca la morte.

Transfuga Dardanides, Patriæ miserande superste
Regna latina petis, Laviniæque thorum?
Infelix! præceps quæ te dementia vertit.
Heu miser ad læthum te tua fata trahunt!
Iuppiter Omnipotens fortem mihi porrige dextram,
Propitioque adsis Numine Diva bifrons.
Si Pyrrhæ è saxis vitalis prodiit ortus,
E' Turni silice prodeat interitus.

MATER EXTINCTVM FILIVM PLORANS.

Incultas dispersa comas, & pectora palmis
Contundens, gemitu sydera mœsta ferit:
Incusat Parcas rupisse ligamina vitæ
Tam subitò, vellet victa dolore mori;
Corpora & in tumulo vellet tumularier uno,
Atque animas unum vellet adire locum.



BEA-

BEATA VIRGO SINE LABE CONCEPTA.

Auræ Divinæ Templum, decor omnis Olympi,
Visceribus Dominum gignere quæ meruit.
Omni luce nitet, puro spectabilis omni,
Haud primam maculam contigit ista Dea.
Si Solem Æternum peperit, qui lucis origo,
Debuit omni umbra Virgo carere mali.

Aliud.

Cur concepta fuit prima sine labe MARIA!
Debuit illa hominis, mater & esse Dei.
Natura propria Deus est purissimus actus,
Pura ergo Mater debuit esse. Tace.

DIVVS STEPHANVS.

Turbine saxorum quassatus scandit Olympum:
Ad Cælum STEPHANO haud saxea facta via est.
Portentum! æternam saxis sibi fabricat aulam.
Saxa volant, curru saxeo ad Astra volat.



DI-

DIVVS PHILIPPVS NERIVS.

Hic veri ſpeculum, clari ſpeculator Olympi,
Regula perfecti norma, decuſque boni:
Inſtituit callem, quo callem panderat aſtris,
Vel vivus Cęlo cepit in Orbe frui.
Cæleſtùm tantam claudebat pectore flammam,
In Romam totam ut fuderit igniculos:
Incedit Romam Nero, ut omnem everteret. Arces
Ferret ut ad Divas Nerius ignis erat.

SS. EVCHARISTIÆ SACRAMENTVM.

Nectare, & Ambroſia nutriri Numina Divum
Pierides doctæ fingere concelebrant.
Reſpice mortalis tibi Cælicus ecce paratur,
Dulcior atque cibus nectare, & ambroſia:
Æternos cibus hic ſumenti præparat annos,
Atque immortali Gloria ad Aſtra vehit.
Proh capis Immenſum! ut poſſit capi & ille benignus
Maximus in minimo clauditur orbe Deus.

DIVA AGATHA.

Vbera diſcindat ferrum. Cæleſtis Amazon
Summi Bellatrix Altitonantis ero.

VESVVIANVM INCENDIVM.

Paraphrasis mei carminis.

Erutta à nostri danni il Monte altero
Per la tonante gola, &c.

Arduus insanos eructat ab ore tonante.
Ardores, damnumque creat Mons; pectore ab imo
Sævior increpitans horrores evomit atros.
Crinibus elatis efformat stemmata tetra
Visceribus densi ignitis sata copia fumi,
Mugitu & rauco claras ad luminis oras
Obscuræ caliginis atra volumina pandit.
Faucibus emissus, magnusque voraginis inter
Ima sonus reboat, quatit horrida terga Vesevus,
Fumantemque illum tu dixeris esse Tonantem.
Terribili se actum rabie movet ipse furore
Motibus insanis, & rupti pectoris orbes
Clarum Mundi oculum cingunt pallore vel ipsum.
Asportat cineres pluvios vis noxia venti;
Dum frutices omnes languent siccante veneno
Herbis obtruncat vitam brevioribus horis.
Lympha silet, luget Pratum, vis florida languet,
Terrori tellus immersa apparet acerbo;

Ta-

Tabifico horrore, & tetris perculsa tenebris
Terra tremit, Mare dat fremitus, exibilat Aer.
Enceladùm rursus jam prisca apparuit Ætas,
Ausi olim sunt qui fera bella movere Tonanti,
Vulcanusque globos fumantes fabricat audax;
Stellato Imperio ut deturbet Numina Divum.
Syrenis nostræ faciem atrum obnubilat omnem
Et cinerum, & fumi virus, flammasque vel undas
Iuxtà illam magis ardenter sufferre necesse est.
At mea Parthenope flammas mons iste minister
Iræ Divinæ culpas ut fulminet aptat.
Hæ citò Motori auscultant, tu crimine turpis
Nunc si iras placare cupis cor rumpe dolore,
In lachrymas illud reddant oculique solutum.
Plantu ignem extinguas, quem culpa accendit, & auxit.



CVRTII FACTVM.

Patria dum vivat, vaſto me gurgite tellus
Sorbeat, & præceps regna profunda petam.
Si mea terra inhians utero nunc viſcera condet,
Vivida fama Pium Nomen ad Aſtra feret.
Aſcendet Superos, qui ſe conjecit in imum,
Si qui conatur tendere ad alta cadit.
Sic ait, & cecidit. Caſu patriæque ſalutem
Attulit, & celebri nomine ſurgit Ovans.
Tanto auſu intremuit, ſtygiuſque exhorruit Orcus,
Expavit Pluto, pallida morſque ſtetit.



SOLVS AMOR MEVS CYNTHIA.

Multigenas animus percepit pectore flammas ,
Dulciter igne novo sæpius incaluit ,
At fuerunt rapidæ, atque fugacis fulguris instar,
Nec multum stabilis languidus ignis erat :
Sed tua, quæ nullum poterit confringere tempus
Cynthia me vinctum vincula sola tenent ;
Vincula, quæ Pylio durabunt longius ævo ,
Dum Sol è vasto gurgite tollet equos ,
Æquora tunc potius patienter cærula sulcos ,
Antè nitens fiet florea terra Polus ,
Frigentique hyemi torrens miscebitur æstas ,
Fervidus ignis edax desinet esse prius,
Fluctibus Oceanus, stellisque carebit Olympus,
Quam noster placidus dissocietur amor .



CONCHYLE RORE PLENVM.

Stemma Academicum.

Diſcindant alii mediis Aquilonibus Æquor,
Naufraga mordaci litora dente ruant:
Extremos cerata ratis decurrat ad Indos,
Chinarum tandem regna opulenta petant:
Perſpicuas gemmas, teretes, nitidoſque lapillos
Exquirant avida fulva metalla manu.
Aſt ego ſollicito Virtutis captus amore
Exploro gemmas, divitiaſque ſuas.
Rorigena en Princeps, hodiè conchylia cerno?
Iſta ab Erythreo non repetita ſinu.
Si veſtra algenti Virtutis rore redundat
Parturiet gemmas quam citò, concha, ſuas.

S O L.

Orbis Luciferi pupilla æterna coruſcans
Productor rerum, lux, oculuſque Poli;
Fons indeficiens lucis, luciſque columna
Lumine conſervas tu generata tuo.
Te Cor, te Regem, te Centrum audire planetæ,
Et ſtellæ debent, luce tuaque nitent:
Dux Mundi, Princeps Cæli, aſtrorumque agitator,
Luminis & vitæ, lætitiæque dator.

IGNO-

IGNORANS PAVCA LOQVENS.

Pauca loqui sapiens. Hoc falsum cernitur in te,
Namque loqui ignorans plura parum loqueris.

PETRINÆ DVRITIES.

Sum duræ tenero Petrinæ vinctus amore,
Quæ silici similis pectus, & ora gerit.
Heu! liquidæ nubes corrodunt saxa cadentes,
Ista meis lachrymis durior efficitur.

RATIO.

Est anima, est oculus mentis Ratio: ille cadaver,
Et cæcus, Ratio, quem sua vita fugit.



Semiramis comis diſcinctis Babylona petit.

Cogite ad arma viros, rumpant Cæleſtia vota,
Hoſtibus atque ferant æra coruſca necem.
Belliſonas alta flammas cervice ſuperbus
Ferrato Sonipes concitet ungue ferox:
Pectora ſi fragrant agitata cupidine regni,
Mollitiem, & luxum bellica Geſta fugent.
Non tremulas fingat calamiſter crinibus undas,
Nec manus exornet pectine docta comas.
Cæſarie incompta ad Martis certamina curro,
Et celebres Palmas, & ſpolia ampla feram:
Nam coma paſſa volans infauſta cometa rebelli,
Et ſtabit fidis proſpera Stella meis.

Deo Parentibus, Magiſtris par reddere non poſſumus.

Cur? dedit eſſe Deus, Divinam præparat aulam,
Viſceribus propriis nutrit uterque parens.
Moribus inſtituit, doctrinis, arte Magiſter:
Reddere par iſtis quomodo dic poteris?



IRENE IMPERATRIX.

Imbellis potuit Terrarum ſceptra tenere?
Vel mulier Mundus, fæmina vel Vir erat.

SORTIS INCOSTANTIA.

Fortunæ curſus ſemper variantur in Orbe.
Cur illa inconſtans? Fæmina cæca Dea eſt.

PARVM LOQVENDVM.

Os unum Natura dedit, binas dedit aures,
Audire hinc multum diſcito, pauca loqui.

LIBERALITAS.

Eſt munus Divum, fulgent hoc Numina Sacra.
Hoſtis avaritiæ, Nobilitatis honos.



Indigno amanti Cynthia nubit.

Cynthia (me miserum) quæ te sententia vertit?
Propositi voluis tam citò vela tui?
O'levior foliis, mulierque fugacior unda,
O'mea spes fragilis terque quaterque fugax.
Hei mihi quam subitò connexa ligamina solvis,
Nos quibus æterno federe junxit amor,
Sicque repentè mei dulcis tibi cura recessit.
Excidit ex animo nunc mea firma fides?
Et promissa tua æquoreis jam credita ventis,
Pollicitumque levis substulit aura thorum.
Credebam infelix tædas celebrare jugales
Tecum, felici conjugioque frui:
At spes vana diù miserum me lusit amantem,
Credenti illa nimis jam mihi cassa cadit.
Ecce tuum florem, quem ego solus sumere dignus
Colliget, heu non me dignior, alter amans.
Impia tolle moras, hymeneja gaudia comple
Det tibi Sors thalamum, dent mihi fata necem
Quam mihi Sors rerum contraria semper amanti
Principium læthi finis amoris erit.

NERONIS OBITVS.

O'qui læthei potatis fluminis undas
Tristia laxandi pectora tempus adest:
Iam Nero fatali committens lumina somno
Exanguis stygios pulsat adire lacus:
Non vos tænarius contorreat amplius ignis,
Abstineat pænas addere flamma stygis;
Sed fiat fera flamma magis cum venerit ille
Tormenta ad summum crescere tunc faciat.
Cunctorum si ausus solus committere culpas,
Cunctorum pænas solus & ipse luat.

HVMANI IVDICII FALLACIA.

Quando putasse putas, alius jam multa putavit;
Rem fecisse putas, fecit & alter homo.
Omnia mens hominum non cernit, fallitur illa
Si benè cuncta putas, tunc benè cuncta facis.



PIVS V. PONT. MAX.

Contra Turcas bellum gerens.


Barbare tu regnante Pio nos vincere speras?
Falleris, hoc Domino nil, nisi damna feres:
Nam domina Pietate potest nil impius, ergo
Impie siste, cades, nam Pietate cares.

DIVVS ROCCVS.

Pestiferam polles terris avertere tabem,
Cujus sævities deprimit omne genus:
Et merito tu Rocce potes, nam cælica Turris
Te tenet, indè potes pellere cuncta mala.

LVCIFERI SVPERBIA.

Ergo præcipitat vesana superbia mentem,
Ingenium angelicum mutat & in stygium?
Dixeris in Cælo primus, sum primus in Orco;
At te destituit gratia, pæna manet.



AD-

ADVENTVS S. SPIRITVS.

Virgine vix Natus Cæli remeaverat arces,
Patris & ad dextram cinctus honore stetit
Agmini ut æternam duodeno immiserit auram,
Vt quæ dilexit corda bearet Ovans.

AMOR TERRENVS, & DIVINVS.

Aliger ille Deus, quem flammis cuncta ruentem
Otia vana fovent de Styge patre fuit:
Ast Amor ille Dei, quo gens divina calescit
Spirat ab æterna mente, animumque beat.

DIES IVDICII.

In Sole, in Luna, in Stellis sua signa videbis.
Æquora, Terra, Polus territa ab igne ruent.

DIVI THOMÆ APOSTOLI DVBIVM.

Qui dubitasse fuit? nostram firmare salutem:
Ex dubio THOMÆ firmior alma fides.

Beati, qui non viderunt, & crediderunt.

Res Fidei non apparent. Nos credere oportet.
Quærere nec causam. Mens capere illa nequit.

MEI PRIMOGENITI MORS.

Heu dulcem, & caram ſobolem, Patriſque dolentis
Solamen, veras deliciaſque meas
Orbaſti (ò crudum facinus, deplorabile fatum)
Tam citò vitali Lumine Parca ferox?
Nate, meæ vires, mihi primi cauſa doloris,
Quippe mei fructus primus amoris eras:
Non dum libabas prædulcia munera vitæ,
Vitalem lucem vix decimam attigeras.
Et tua fatali concludens lumina ſomno
Haud mora vix natum Mors furibunda rapit.
In lachrymas ſolvor, tamen hoc ſolaminis unum eſt
Cuncta gubernanti ſic placuiſſe Deo.
Primitias Priſci Divis donare ſueti.
Primum ex me fructum dono Deo ecce libens.

PAX.

Alma quies mentis, cordis ſolamen, & aura
Qua nihil utilius, commoda cuncta tenet.
Ad Paradiſiacas nos evehit iſta phalanges,
Æternum nobis viſere dat Dominum.



B.V.

Æterno Regi formoſa puella dicatur,
Sacraturque Deo, quæ paritura Deum eſt?

Qui cogitat ſe moriturum facile omnia contemnit. Divus Hieronymus.

Et meritò, quis namque irritamenta malorum
Divitias, & opes diligat? Illa cadunt;
Illecebras Veneris, pompas faſtuſque ſuperba
Qui non deſpiciat, ſi libitina rapit?
Mundus enim liber eſt, in quo te ducere vitam
Mortalem noſcis, congeriemque mali.
Sævus te morbus quando inficit, angeris æger
Atque doles at tunc ipſe memento mori.
Nuncius eſt Mortis morbus, monitorque probatus
Te debere, Orbis, linquere quicquid habet.



Masinissa venenum mittens Sophonisbæ. Ex Appiano.

Promissis si stare vetat me Roma triumphans,
Quod tibi Roma negat cruda venena dabunt.
Pocula, quæ diro mitto tibi tincta liquore
Hæc libertatis sola medela tuæ.
Sis memor egregiæ Patriæ, memor esto duorum
Te Regum Sponsam. Fata subito libens.

Sophonisbæ responsum.

Munera missa mihi gratissima, gratius illis
Nil, hæc ut moriar libera læta bibam.
Læta magis mortem oppeterem, ni juncta marito
A' thalamo tumulo proxima facta, forem.




Veturia Coriolano filio Patriam invadenti.

Nate, meæ vires, quæ te dementia vertit?
In Patriam Volſcos cogis ad arma duces?
Et Romam Dominam rerum, Populumque Quirinum
Hoſtili oppreſſum tu patiere jugo?
Ingruis iratus læthali percitus æſtu,
Nec tua Matris amor viſcera dura movet?
Impie tolle moras, hæc ubera diſiice ferro,
Quæ te non hominem at diram alvere feram.
Sic ait occurrens nudato pectore Nato.
Conſtitit hic ſubitò pallidus ore puer.
Bellatrix tumidas, quid mammas ſcindis Amazon?
Si armatas acies ubera nuda domant.

NATIVITAS DOMINI.

Cur oritur ſtabulo Chriſtus? cur emicat aſtrum?
Mortalem ſtabulum, ſtella Deumque notat.



Vtris maior laus, Pastoribus ne, an Magis Adorantibus Christum.

Vix hominem, atque Deum pura de Virgine natum
Angelica factum mente docente novum
Æternum proni Pastores Numen adorant,
Atque hilares nato dant pia dona Deo.
Sydereos plexus, arcanaque Pegmata Cæli
Spectantes ducit Lumine Stella Magos:
Thus, aurum, myrrhamque ferunt tria mystica dona,
Dant puero, noscunt Regem, Hominemque Deum.
Vtris laus major? vis hoc ut carmine dicam?
Pastorum cultus major, honorque & amor.
Angelus hos, illos movit nova stella, scienter
Illos, simpliciter credere at hosce vides.
Vera Fides audit, non quærit. Verior illa
Quæ credit, non quæ credita nosse cupit.



Beatæ Virginis animam doloris gladius Pertransivit.

Martyrium sine morte subit divina Virago,
Quæ patitur CHRISTVS vulnera compatitur.
Torquetur Natus, Mater torquetur. Amore
Hæc pendet, morte is pendet ab arce Crucis.

ECCE HOMO.

Ecce Homo? si tot dura subit tormenta Redemptor
Insipiens! melius dixeris Ecce Deus.

Prophetiza quis te percussit.

Quis me percussit? qui me detraxit ab alto.
Qui mea velavit lumina? Fortis Amor.

Christus portans spineam coronam.


Flos ego sum campi dixisti, collige dumos:
Nam Campi flores spinea serta tegunt.



Feralem toto discerptus corpore Truncum
Bajulat Omnipotens Virgine Matre satus;
Plectitur & lassus pugnis, & calcibus usque
Cæditur, heu, canctis afficiturque probris:
Semianimemque illum laniat cacohètes apella
Quam cinis immundus vilior, atque fimus
Prò scelus! Ecquid hic admisit purissimus agnus,
Penderet ut pęnas sacrilegasque feras.
Hic nihil admisit similis Genitoris Imago ;
Impia sed voluit funera sponte pati .
Adversis adversa parat medicamina . Quondam
A'ligno mors, nunc à trabe vita venit .
Sic eadem varios producit tempore fructus
Arbor, qua morbus jam fuit, indè salus .

S I T I O.

Ferte mihi potum, volo namque abstergerę labra,
Qua impuro. Iudas polluit ore furens .



Cla-

Clamans voce magna, inclinato &c.

Et caput inclinans clamorem ad ſydera tollit,
Vt nos mortales Chriſtus ad aſtra vocet.

CHRISTVS IN CRVCE.

Inter Latrones quum de Crucis arce pependit
Tunc verè Virtus extitit in medio.

EXIVIT SANGVIS, ET AQVA.

Turpia purpureus detergit crimina ſanguis.
Pocula lympha fluens temperat, unde ſalus.

S. MARIA MAGDALENA
Vt cognovit.

Haud mora paſſa comas, contundens pectora palmis
Ad Domini ſacros advolat illa pedes.
Mirum! illos lachrymis tergens ſua crimina tergit.
Ter purum ad Solem ſordida culpa fugit.



Turca Viennæ obsidionem derelinquens.

Corrupit ſemper veſana ſuperbia mentem
Eſt depulſa polo, tartara nigra tenet.
Impie credebas Romanam evertere ſedem,
Totius & mundi Sceptra tenere manu:
Cinxiſti Auſtriacam forti obſidione Viennam,
Qua capta poſſet martia Roma capi.
Ecce redis Victor, ſpolia ampla referſque triumphis.
O'pugnatorem viribus eximiis!
Everſus mordes terram, Cælumque querelis
Imples. Sic punit corda ſuperba Deus.

FINIS.

D. IOSEPH BARBERIVS S. T. P.

In laudem Auctoris.

Musarum prædulcis amor me vexit ad altum
Parnassi montem, Lauriferumque nemus:
Hic vidi doctas, mihi dilectasque Sorores
Formosum sertum texere fronde pari.
Mirabar: mihi tunc illæ dixere canentes:
Nunc dignus tuus hoc Bartholomæus adest.
Haud mora concentus; Musasque vocavit Apollo,
Teque coronari jussit, eæque statim.
Ergo quid celebrem, si te celebravit Apollo?
Hoc unum: Patri Filius es similis.



IGNATIO PROVENZALI

LICIENSI PATRICIO

A CATHOLICA MAIESTATE

REGIAM CANCELLARIAM REGENTIS

HONORE INSIGNITO

Nepotis sui devoti animi Testimonium.

Astræa è Cælo nostram respexerat Vrbem,
Qui placeat nullum viderat esse Virum:
Te tamen ut vidit de millibus eligit unum;
Teque suas voluit nunc retinere vices.
Et meritò; tua namque est Provida, & Ignea Virtus,
Quæ celeri cursu promovet omne bonum.
Igneus estque tibi vigor, & cælestis origo:
Hinc Vrbi, & Regi (laus tua magna) places.

